

**Dissertatio epistolica qua consilium bibliothecae physiologicae historico litterariae conscribendae aperit : insimul autem viro clarissimo et doctissimo domino Io. Sigismund. Alexandro Panzer ... summos in philosoph. honores rite impetratos felices et faustos esse iubet Christianus Albertus Gothilf Gruner.**

### **Contributors**

Gruner, Christian Gottfried, 1744-1815.

### **Publication/Creation**

Altorfii : Ex officin. Meyeri Acad. a Typis, D. XXVIII IVN. A S. R. MDCCXXXVII [29 June 1747]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/c6cxd3bn>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



61564/p

DISSERTATIO EPISTOLICA  
QVA  
CONSILIVM  
BIBLIOTHECAE PHYSIOLOGICAE  
HISTORICO LITTERARIAE  
CONSCRIBENDAE  
APERIT

---

INSIMVL AVTEM  
VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO  
IO· SIGISMVND· ALEXANDRO PANZER  
REVEREND· MINISTERII SOLISBACENS· CANDIDAT· DIGNISS  
FAVTORI AESTVMATISSIMO  
AMICO SINGVLARITER DILECTO  
SVMMOS IN PHILOSOPH· HONORES  
RITE IMPETRATOS  
FELICES ET FAVSTOS ESSE IVBET  
CHRISTIANVS ALBERTVS GOTHILF GRVNER  
MEDIC· CANDIDAT

---

---

D· XXVIII IVN· A S· R· MDCCCXXXVII

---

---

ALTORFII  
EX OFFICIN· MEYERI ACAD· ATYPIS



351329

Suppl. P /GRU

DISSEMINATION

CONSTITUTION

BIBLIO THECA PHYSIOLOGICA

HISTORICO LITTERARIA

AD NEGOTIUM

ACADEMIAE

INSTITUTIONUM

ACADEMIAE MEDICAE

ROMANA

OPUS ALEXANDRI BALSANI

DE VITIIS ET MORBIS

ACUTIS ET CHRONICIS

IN VENTRIS ET IN

TESTIBUS

ACUTIS ET CHRONICIS

IN VENTRIS ET IN

TESTIBUS

DE VITIIS ET MORBIS

ACUTIS ET CHRONICIS

IN VENTRIS ET IN



VIR CLARISSIME ATQVE DOCTISSIME  
FAVOR ET AMICE NVNQVAM NON  
DILECTISSIME



ET obseruantia , qua ILLVSTREM PARENTEM  
TVVM GENTEMQVE PANZERIANAM semper de-  
uenerabor , et amicitiae nostrae uinculum ,  
quod sanctum semper mihi erit , a me postu-  
lant , oblatum hodie TIBI , VIR CLARISSIME ,  
honorem ex animo gratulari : Verae enim amicitiae  
signum semper haberi consuevit , si ex secundis , quae  
amicis nostris obueniunt , rebus , si non maiorem ,  
eandem tamen uoluptatem percipiamus , quam ex eis ,  
quae ad nos nostrumque statum magis perficiendum  
pertinent.

Qua autem de re uerba ad TE insimul faciam , ea  
de causa dubius haereo , quia , quod ipsimet TIBI no-  
tum est , tam multis tamque uariis , per aliquod tem-  
poris spatium , laboribus obrutus fui , et adhuc sum ,  
ut otium , exarandae dissertationi epistolicae aptum ,  
quaerere haud potuerim . Constitui igitur TIBI hac  
occasione eum exhibere , quem iam ante menses quos-  
dam exaravi , *Prodromum Bibliothecae physiologicae* , et in-  
stituti mei huiusmodi bibliothecae edendae rationes  
breuiter exponere .

Fateor , me non parum historiae litterariae  
studio delectari ; quod etiam ante hos duos annos  
iam prodidi , cum *historiam motus periodici sangui-  
nis* , in forma epistolicae dissertationis ad Celeb. Dnum  
M. FROMMANNVM nostrum , conscripsi . Sed non uitu-  
perandum hoc uoluptatis genus esse confido , cum  
non ob iucunditatem tantum , sed et ob utilitatem in  
omnibus disciplinarum generibus , insigniter se haec



scientia commendet. Quomodo enim quis sibi adcuratam cognitionem huius uel illius rei commode acquirere poterit, nisi cognitio praecesserit huius scientiae historica. Mittam iam alias, et tantum de medica scientia loquar, quae instar omnium exemplorum esse poterit: eo magis enim necessitatem suam exerit historia litteraria, quo ampliores scientiae cuiusdam limites sunt. Quoties, quaeso, hic accidit, ut de medicamento cuiusdam uiribus, aut de morbi alicuius natura adcuratius inuestiganda solliciti sint harum rerum studiosi, et postquam et tempus, et operam consumserunt, noua se inuestigasse putantes, obuenit illis peculiare forte de ea re scriptum, quod iam omnem materiam exhaustit. Vt de aliis occasionibus nihil dicam.

Non quidem ita omnibus destituti sumus subsidiis, ut plane nulla eruditorum scripta extent historico medico litteraria. Prostant enim Celeberr. STOLLII *Einleitung zur Medicinischen Gelartheit*. Prostat Excellentiss. et de re litteraria optime meriti, SCHVLZII *Historia medicinae*, ut et doctiss. FREINDII *Histoire de la Medicine*, aliaeque huius generis historiae. Sed, ut taceam omnes recensitos libros partes tantum, aut potius periodos historiae complecti, id tantum monebo, quod in eis nulla, aut saltem paucissima, auctorum scripta annotata reperiantur, cum tamen hoc praecipuum desideratum sit. Ne autem tam iusto eruditorum desiderio non aliquo modo satisfaceret, celebratiss. *bibliothecae realis uniuersalis* auctor, MART. LIPENIVS, etiam *Bibliothecam realem medicam* publicae utilitati sacrauit. Maior laude mea est hic uir: quanto enim studio, quantaque diligentia, opus ipsi fuerit ad laborem hunc, quem ipse



ipse uere *Herculeum* uocat, omnibus facile primo statim oculorum obtutu patebit. Sed scripta tantum usque ad annum LXXX superioris seculi edita in hac bibliotheca reperiuntur, et nullus huc usque medicorum Lipenianae bibliothecae partem medicam auxit et continuauit, quod tamen aliis partibus, praecipue iuridicae, a celeberr. IENICHEN felici omine accidit. Insuper autem ipse LIPENIVS fatetur: *primarium scopum non fuisse omnes compilare.*

Varii quidem iam ante eum extabant huius rei scriptores, sed eorum magis adhuc curta suppellex est, quam Lipenii: uarii quoque eum sequuti sunt, inter quos eminent excell. KAESTNER, qui Ienae, superiori quadragesimo sexto huius seculi anno, *bibliothecam medicam selectam* typographico prelo tradidit. Non ego quidem is ero, qui tantorum uirorum meritis quidquam detrahere uolo: quin potius semper officii mei partem in eis aestimandis et colendis constitutam habebō. Interim, saluis tamen eorum meritis, laudibus ac honore, id dicere licebit, hasce collectiones testes esse, quod unius hominis aetas tanto operi, historiae nimirum litterariae uniuersali conscribendae, non sufficiat. Praecipue cum in arte nostra tanta scriptorum profest multitudo, quam sine admiratione considerare uix possumus. Cumque scientiae eorum, quae ab uniuersi huius conditura ad nostra tempora facta sunt, quae uniuersalis historiae nomine uenit, eadem fuerint fata: non iniustum fuit, quod uarii eruditorum optarunt et hodie adhuc optant, ut eadem felicitas contingat litterariae historiae, quae uniuersali in Anglia contigit: ut nimirum plures ad negotium hoc perficiendum apti uiri societate se coniungerent,



gerent, et uniuersalem bibliothecam conscribere allaborarent. Societas enim non moritur. Sed uana ac irrita in hunc usque diem spes mansit.

Ne igitur plane sterilis amplissimus hic eruditio- nis campus relinqueretur, aliud consilium quidam inierunt. Cum nimirum non omnia omnes possumus, unam alteramue tantum scientiae partem sibi expli- candam sumserunt: ubi autem fateamur necesse est, in aliis scientiarum generibus, praeprimis in theologia et philologia, plures illi studio incubuisse, e quibus WOLFII *Bibliothecam hebraicam*, FABRICII *Bibliothecam lati- nam*, eiusdemque *graecam*, et SCHEDELII *Bibliothecam dissertationum Theologicarum*, tantum nominabimus: etsi in medicina quoque nec defuerint antiquioribus tem- poribus, nec desint hodiernis.

Sic enim *semiologica Bibliotheca* SCHENKII, SCHEE- FERI *Bibliotheca pathologico therapeutica*, siue *directorium medico practicum* a MORONO antea editum, WALTHERI *collectio auctorum, qui de morbis scripserunt*, BORELLI item et ROTHSCHOLZII *chemicae Bibliothecae*, aliaeque prostant: quae autem omnes augeri et emendari, atque ad no- stra tempora usque continuari desiderant. Hoc enim omnibus commune est huius generis scriptis: partim, quia quotannis noua in omni scientiarum genere lu- cem adspiciunt, partim etiam, quia semper quaedam omittuntur, etsi omni cura id euitare scriptor stu- det: quae autem uitia timenda non essent, si integra Societas in se susciperet eiusmodi instituti curam. Defectus tamen non adeo frequentes reperiuntur in BRVKMANNI *Bibliothecis ad historiam naturae pertinentibus*, LINNAEI et SEGVIERII *Botanicis*, et DOVGLASSII *Anato- mica, Bibliothecis*: et dubium non est, quin hi solertis-  
fimi



fimi et doctissimi Viri has suas Bibliothecas sedulo continuaturi sint, et supplementis adaucturi.

Vtiles igitur ac felices hi successus me in eam sententiam perduxerunt, ut apud animum meum constituerim, scripta quae ad Physiologiam pertinent colligere, certa spe fretus, non plane inutilem eum laborem fore, etsi probe sciam et cognoscam, non ea me adhuc gaudere scientiarum copia, quae huic proposito ex asse satisfaciendo par sit. Periculum interim faciam, et doctiorum examini ea quae collegi subiciam, quorum emendationes demum aptius illud efficient.

Ne autem uaria uariis misceantur, sequentibus methodi legibus ac ordini conformare opus annitar.

**I** Meritis nimirum eorum laudatis, qui historiam quarundam Physiologicarum rerum litteris consignarunt, uniuersales primum Scriptores, post autem illos enumerabo, qui speciales appellantur: ita ut

**II** Ante omnia illi recenseantur, qui ex professo, uti loqui solent, de Physiologia uniuersa scriptis egerunt, siue de sola Physiologia scripserint, siue uniuersae Medicinae systemata adornantes, aliis huius artis partibus, notitiam usus partium corporis humani iunxerint.

**III** Tum uero eorum diligentiam non obliuiscar, qui in Anatomicis scriptis, simul quoque de corporis partium usu ad operationes et actiones, uitae et sanitatis conseruandae, exsequendas necessario, egerunt. Etsi enim proprie in Anatomicis scriptis pertractari ea tantum debeant, quae ad situm, locum, figuram, substan-



stantiam, magnitudinem partium et similia pertinent; multi tamen Anatomico Physiologica conscribere compendia praeoptarunt, \* et saepe iam obseruationes doctissimas, diuturnae attentionis, experientiae et acrioris iudicii testes ibidem reperi: quos tacere et illis priuare Physiologiae fautores iniustum duco.

Praemittere hos uniuersales Scriptores illis, qui tantum de una alteraque parte scripserunt, ea de causa constitui, partim quia illorum merita in hanc scientiae partem maiora mihi uisa sunt quam horum; partim uero, ut illis, qui tyrones artis sunt, fontes ante exhibeantur, ex quibus uniuersalem scientiae ideam haurire possint, quam specialioribus legendis operam nauerunt.

III Conuertam me porro ad eos, qui uel unam alteramue partem corporis, tantum physiologicè considerarunt, uel aliquam eius actionem sigillatim exposuerunt, siue peculiaribus tractatibus

---

\* Non autem uituperandum est hocce institutum, cum indispensabilis nexus physiologiae cum anatomia sit. Quomodo enim quaeso usum partium exponere, motum specificum eiusque gradus determinare, causas actionum inuestigare, et modum agendi explicare possumus, nisi antea interna externaque dispositio, aut uno uerbo legitima organica structura, innotuerit. Hinc cum experientia edoctus sum in physiologica Bibliotheca plurima anatomicorum scripta quoque adducenda esse, eodem forte negotio colligi posse crediderim, *Bibliothecam Anatomico physiologicam*. Nihil tamen de hoc proposito certi promittam, cum ea quae forte obstarent nondum fatis animo perpendere potui.



tibus, siue dissertationibus id factum sit. Hos enim omittere nefas esset. Praeprimis cum supra iam laudatus LIPENIVS in praefatione *Bibliothecae medicae* testetur: *Se in eis, dissertationibus nimirum, saepe plus industriae, eruditionis et succi deprehendisse, quam in spisso aliquo volumine.*

V Denique et obseruationum Scriptores adgre-  
diar, et quidquid in illis ad Physiologiam per-  
tinere uidebitur adducam. Inter quos primum  
locum teneant collectae obseruationes et dis-  
quisitiones CELEBERRIMORVM ET ILLUSTRIVM,  
quae adhuc florent, SOCIETATVM, quibus tan-  
tum rei medicae incrementum, tot errorum  
emendationem, tam multarum ad felicitatem,  
iucunditatem et usum generis humani com-  
munem spectantium rerum inuestigationem  
debemus.

Et hae erunt classes, ad quas referre omnes Scri-  
ptores annitar. Ordines uero dispositurus Chrono-  
logiae ductum sequendum esse putauit. Quod pro-  
positum non eo quidem spectat, ut, singulis annis,  
quae et qualia lucem adspexerint, enumerentur, sed  
uniuersam potius Physiologiae historiam secundum  
historiae medicinae uniuersalis periodos, pertractabo,  
quae secundum maxime notabiles mutationes, quae  
medicinae acciderunt, limitibus circumscribantur.

Constituent igitur

A) primam periodum *Hippocrates*, medicorum  
pater et princeps, cum iis, qui eum sequuti sunt,  
et fragmentis scriptorum, quae ante eum com-  
posita fuere.

B) Secundae periodi primus *Galenus* esto, quem  
B ideo



ideo nouae periodi ducem elegi, quod in Physiologia tam multa ab eo noua profecta reperiuntur, \*\* simul autem ea de causa, quia tantam nominum celebritatem et Galenus et aetulae eius consequuti sunt, quae etiam fama tam diu durauit usque dum Galenica medendi methodus a

- C) *Chemicis* et eorum duce *Paracelso* labefactata ac emendata est.
- D) Maxime uero Physiologia mutari et nouis hypothesebus superstrui coepit a *Cartesio* et *Cartesianis*, qui primorum mechanicorum nomine non immerito insigniuntur, praecipuum cum
- E) *Mechanica* hodierna Physiologia, quae a *Hoffmanno* et *Boerhaui* introducta et exulta est, multa a Cartesianis mutuauerit, et tantum secundum certiora fundamenta constructa sit.
- F) *Stablii* theoria medica aliam iterum periodum historiae incipit, et quidem ultimam, quae ad nostra tempora usque durat, ac simul cum recentiorum

---

\*\* Testatur hoc *Magnif. et Excell. D. D. KIRSTENIVS*, Patronus et praceptor meus perpetuo uenerandus, in elegantissimo programme de ortu et progressu physiologiae. Vbi: *CLAVDIVS*, inquit, *GALENVS* post *Hippocratem* medicorum facile princeps, primus quasi fuit, qui praesertim huius studii incrementa non parum prouexit. Id quod, praeter alia permulta huius generis scripta, imprimis egregium illud et cetero dignum, declarat opus, in quo de usu partium magno iudicii acumine egit; ubi, quantum iamtum in Physiologia ualuerit, luculentissimo documento demonstrauit, uariorumque ea propter uirorum eruditorum elogia sibi promeruit.



tiorum Mechanicorum methodo persistit eundemque fere numerum cultorum et fautorum semper habuit.

- G) Hinc alii fuere et adhuc sunt, qui has sibi tam aduersas theorias, Organicam et Mechanicam puta, conciliare et *Eclecticorum* nomen tueri annisi sunt.

Sic instituta pertractatione primae, secundae et tertiae classis, *Historicorum* nimirum, *Systematicorum* et *Anatomico Physiologorum*, me officio meo satisfacere posse credo. Quartam uero *Monographorum* et disquisitorum et quintam *Observatorum* classem, quantum quidem potero, secundum easdem chronologiae periodos recensebo, ita tamen, ut haec methodus, quae in prioribus tribus classibus *ordines* disposuit, in his posterioribus duabus tantum *genericam differentiam* efficiat.

ORDINES horum scriptorum sint sequentes ut

- α) primo enumerentur, qui de homine in genere, hominisque essentialibus partibus corpore nimirum et anima, placita sua posteritati reliquerunt. Fusius paullo hunc *ordinem* tractabimus. Cum nihil sane ex quibusuis disciplinarum et scientiarum generibus reperiatur, quod tam uariam fortunam expertum sit, quam anima hominis. Theologi enim pariter ac Medici et Philosophi illam in hanc alteramue partem trahere studuerunt. Quamobrem operam dabo, *historiae animae litterariae* medico philosophicae breuiter in hoc ordine exponendae. Praeprimis cum in definitione animae latere uidetur differentia inter Mechanicos et Organicos.
- β) Secundam phalangem constituent ei, qui corpo-



ris constitutiuas partes, easque uel solidas, uti sunt: cor, cerebrum, ossa, uiscera omnia etc. uel fluidas, qualia sunt: saliuā, lymphā, lac, semen, succus pancreaticus etc. eorumque naturam et usum explicarunt.

- γ) Vita et sanitas, cum, adhuc in utero materno latentium, ubi nutritio foetus praeprimis notanda, tum uero propria sua uita uiuentium, iam considerata ueniet, ut et sanitatis accidentia, aetatem puta, temperamenta, sexum, et similia.

Huius ordinis potiores temperamenta sibi partem sument, cum plurima de illis philosophica et medica scripta prostant.

- δ) Agmen denique claudent illi, qui de actionibus hominis commentati sunt; siue eae sint *naturales* uti sanguificatio; nutritio; secretiones; excretiones sudoris, mucī, sanguinis menstrui *et cet.* habentur: siue sint *vitales*, quae ad respirationem et sanguinis periodicum motum pertinent: siue *animales*, ab animi uoluntate tantum pendentes: siue denique *mixtae* sint, ad quorum numerum deglutitio, urinae et fecum aluinarum excretio, imo maximam partem generationis actus, partus et similia referuntur. \*\*\*

Vt uero haec eo magis innotescant, sequentem adponere tabulam necessarium duxi.

---

\*\*\* Lubens omitto eos, qui de rebus, non naturalibus dictis, scripsere; quia hos potius ad Diaeteticam pertinere credo.



## T A B V L A

EXHIBENS PHYSIOLOGORVM  
CLASSES ORDINES GENERA

## PHYSIOLOGI

<i>Pertinent ad</i>	<i>Scriserunt et uixerunt</i>	<i>Sunt uel</i>
I <i>Historicos</i>	A. Ante Galenum	} (a) <i>Methodici</i>
II <i>Systematicos</i>	B. Cum Galeno et post illum	
<i>Hi adornarunt</i>	C. Cum Paracelso et post illum	
A <i>Systemata tantum Physiologica</i>	D. Cum Cartesio et methodo Cartesiana	
B <i>Systemata uniuersae medicinae et in eis etiam Physiologiae</i>	E. Post Cartesium alia methodo	
	<i>Hi fuerunt uel</i>	} (b) <i>Naturalistae</i>
	1. Stahliani	
	2. Mechanici recentiores	
III <i>Anatomico Physiologos</i>	3. Eclecticis et conciliatores	

## EGERVNT DE LVCEM ADSPEXERVNT

III <i>Monographos</i>	α) Partibus hominis essentialibus	1) Ad Galenum usque exclusiue
	β) Partibus corporis constitutiuis	2) A Galeno ad Paracelsum exclusiue
	(a) Solidis	3) A Paracelso ad Cartesium exclusiue
	(b) Fluidis	
V <i>Observatores</i>	γ) Vita et sanitate	4) A Cartesio ad nostra usque tempora.
	δ) Actionibus	
	A Naturalibus	
	B Vitalibus	
	C Animalibus	
	D Mixtis	



Cum uero non facile omnia haec simul colligi queant, id potius agam, ut pars quaeuis figillatim prodeat: ne nimium longum tempus ante abeat, quam me promissis meis stare uelle monstraerim. Simul autem eorum FAVORVM nomina adponam, qui subsidiis quibusdam beneuole me subleuarunt; gratamque mentem ipsis publice pro hoc fauore testatam faciam.

Sufficient haec pro scopo nobis proposito, quia tempus plura hic addere uetat.

Id enim adhuc mihi faciendum esse intelligo, ut, cuius causa totam hanc scriptionem suscepi, TIBI CLARISSIME ET DOCTISSIME DOMINE MAGISTER, gratulationis officium exhibeam.

Felicibus nimirum sub auspiciis hodie TIBI summi in philosophia honores delati sunt, quibus TE iam diu dignum fuisse, omnibus, qui aut TE, aut edita a TE egregia specimina norunt, palam est. Duae enim illae abs TE profectae dissertationes, altera de *Transmigratione animarum*, altera uero de *Origine mali ex legibus felicitatis non deriuanda*, de TVA praeclara eruditione, diuturna diligentia TIBI aduqsita, satis testantur. Prior enim egregie monstrat, TE illam philosophiae partem, quae plurimis difficultatibus prae aliis circumuallata est atque abscondita, Psychologiam puta, intime nosse, nec TVAM de ea cognitionem mediocrem tantum esse. Posterior autem testimonium perhibet, TE, qui potissimum studia TVA sanctiori doctrinae sacra esse uoluisti, de addiscenda naturali de DEO scientia semper cogitasse. Bene insuper cognitum TE habere atque perspectum, Theologo maximam officii par-



partem in emendando malo, bonoque promouendo, positam esse. Quis igitur non summa laude dignum esse iudicet illud TVVM consilium, quo in *originem mali* inquirere constituisti, quam laudem etiam, huic cum satisfacisti proposito, consequutus es.

Non minorem tamen honorem atque gloriam TIBI comparasti, cum e publica cathedra eas dissertationes defenderes: omnium enim expectationem, quae tamen de TE non nisi magna esse poterat, expleuisti, quid quod eam superasti: cuius rei recordatio mihi nunquam non maxime iucunda erit, praecipuis cum, quae TVA est erga me amicitia, utraque uice mihi licuit opponentium numero interesse.

Gaudeo quidem de hac laude TVA, noli autem credere, me eam mirari. Non enim mirum est, cum eo PATRE TE genitum esse constet, qui tanta eruditione, tantisque meritis conspicuus est, atque illustris, quem nunquam nisi summa cum animi religione et obseruantia nomino, cuique tanquam SVMMO VIRO me placuisse primae laudi mihi duco. Iure me ipsi placuisse gloriari possum, cum tot tantaeque ILLVSTRIS *huius* VIRI erga me patrocinii prostant monumenta, quae si enumerare tantum anniterer, diem consumerem: etsi lubens profiteor, nullis meritis meis, sed tantum beneuolentiae ac humanitati, quae IPSI propria est, hunc summum erga me fauorem tribuendum esse.

Concedat DIVINVM NVMEN TIBI, SVAVISSIME AC DILECTISSIME AMICE, OPTIMO HOC PARENTE per multorum adhuc annorum spatium frui, TVAMque simul patriam diu adhuc sub tutela EIVS, CUI regi-  
minis



minis pars, a SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
*patriae* TVAE PATRE demandata est, iustitiae ac felicitatis  
 bonis gaudere, clementissime patiatur. Sic salua,  
 sic sospes semper manebit ILLUSTRIS PANZERI VNIVERSA  
 FAMILIA, quam semper uenerabor.

TV autem, AMICE, TV paternarum uirtutum  
 imago, perge per DEI T. O. M. gratiam TVAS res felici-  
 ter agere: sint TIBI hi philosophici honores summi,  
 basis tantum, cui multo maiores superstruantur.  
 Semper ego TE, quod intime nosti, ex intimo cor-  
 dis affectu amaui: uirtutis enim amor, ut TE ama-  
 rem, semper suasit; caue igitur unquam dubites de  
 mea erga TE obseruantia et amicitiae cultu. O!  
 quam dulce id mihi est, me certum atque persua-  
 sum esse posse, TIBI semper intimioris nostrae amici-  
 tiae uinculum sacrum futurum, TEQUE huius amicitiae  
 leges sanctas semper fore habiturum. Vale.

